



PARS II.

THEOLOGIÆ CASUALIS

CAPUT I.

DE LEGE MORALI S. DECA-
LOGO.

Num Lex divina moralis, quam DEUS promulgavit in decem Verbis, sit perfecta?

Mpingunt hic *primò Pontificij*, qui imperfectionis accusant Legem DEI, cum Gretzero dicunt, falsam & Cuculi vocem esse quod Deus cultu spontè electo non velit coli, cum *Maldonato* asserunt, legem à Christo fuisse correctam, cum reliquis passim jactant, opera supererogationis & consilia Evangelicæ perfectionis: *secundò Anabaptista*, qui easdem ferè tibias inflant, & legis imperfectionem defendere satagunt: *Tertiò* maximè *Sociniani*, qui legi addunt præcepta Christi, unde *Smaleus* de *Divinitate Christi* cap. 5. præcepta, *scribit*, quæ Christus revelavit, duplici modo considerari possunt; *quadam* enim sunt additamenta & perfectiones istius partis legis mosaicæ, quæ moralis appellatur: *quadam* verò sunt planè singularia & quasi nova: in specie autem *ad præceptum primum* volunt additum præceptum de faciendis precibus, *secundò* formulam orationis dominicæ, *tertiò* præceptum de invocando Christo: *ad secundum* de cavendis idolis, atque idolotythis: *ad tertium* primò, nè leviter juremus, secundò, ut per Christi nomen quoque liceat jurare: quartum de Sabbatho dicunt esse merè Ceremoniale, & ad Christianos nihil pertinere, ut quidam præcepta numerant. Militat autem pro perfectione legis

P. II. Th. C.

Yyyy 3

mora